



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

II. Descriptio veræ Ecclesiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

ba in Ebraica lectione. כל יצר לב האדם רע  
 id est, Omne figmentum cordis seu omne quod fingit  
 & cogitat cor hominis, malum est. Non dicit tantum  
 pronas ad malum esse cogitationes cordis humani,  
 ut latinus interpres deprauauit, Sed ipsum figmen-  
 tum seu opificium cordis, seu quidquid format cor  
 hominis, id malum est, & non congruens cum nor-  
 ma Legis diuinæ, seu ut Rom. 8. Paulus loquitur, Est  
 inimicia aduersus Deum. Adiungantur itaq; hæc  
 duo Testimonia reliquis, quæ supra cap. 3. & 5. de  
 peccato Originis recitata sunt.

## II.

DESCRIPTIO VERÆ  
 Ecclesie.

Vera Ecclesia est cœtus iustorum  
 qui amplectuntur Verbum, in quo se  
 Deus patefecit, & sanctificati per Spi-  
 ritum sanctum, uera inuocatione, præ-  
 dicatione, confessione, & morum inte-  
 gritate Deum colunt, & in omnibus pe-  
 riculis a Deo custodiuntur & gubernan-  
 tur, et tandem uitæ æternæ heredes fiunt.  
 Hæc descriptio erudite ex historia Nohe extrui po-  
 test. Noha erat uir iustus, id interpretatur Epistola

P ad Ebræ-

ad Ebræos, Noe timens Dominum, edificavit hanc, & iusticiæ fidei hæres factus est. Placuit tamen Deo & acceptus erat ad hæreditatem uitæ æternæ, fide promissi Seminis.

2. Pet. 2. Vocatur Præco iusticiæ, quia uerum Deo, de peccato, de iusticia doctrinam suam prædicatione & confessione propagauit.

3. Vocatur perfectus המרים quod intelligitur consuetudine sermonis Ebræi, integer seu incorruptus, non pollutus idolis seu falsis opinionibus & uerbis contra conscientiam, sed uera fide & integritate morum celebrans Deum.

4. Arca imago admodum illustris et eruditissima. Ut enim solus Noe cum suis inclusus in Arcam saluatur, alij omnes diluuiio extinguntur, sic soli ueræ Ecclesiæ hæredes uitæ æternæ fiunt, reliqui omnes extra Ecclesiam, ut Turci, Iudæi, Ethnici diluuiio iræ diuinæ absorbentur. Singuli autem qui in uera Ecclesia, quærere & ad eam se pietate & confessione adiungere debent, ut dulcissimum à Nazianzeno dictum est, Ζητώ Νωε κίβωτον μόνον αινού αλύξω.

Sic Arca fœderis in qua adseruabantur Tabule Decalogi significabat Ecclesiam, cum qua Deus fœdus fecit, seu quæ recepta est à Deo, quæ custoditur uerbi à Deo traditi, & in qua post resurrectionem totus Decalogus lucebit, ardebit Dilectione Dei

to corde, tota anima &c. Hæ commonefactiones ad locum de Ecclesia adiungantur.

## III.

MIRANDA CONSER-  
uatio Nohe in aquis.

Omnibus temporibus Ecclesia uelut Nauis in immenso mari seuissimis Tyrannidum, Hæresium, intestinorum certaminum & ingentium ærumnarum procellis iactatur. Sed tamen ut filius Dei Nohe nauiganti adsuit, sic semper Ecclesie sue inter ingentium periculorum fluctus, dux & gubernator adest, nec nauas suos deleri sinit, ut ipse inquit, Ego uobiscum sum, usq; ad consummationem seculi. Item, Non relinquam uos. Ac ut Sol hoc tempore anni circa brumam, etsi longissimè à nobis distare uideatur, tamen terræ proximus est, uidelicet in perigeo, Sic CHRISTVS Sol iusticiæ, qui ante annos 1553. die brumæ natus est, nunquam propius suæ Ecclesie adest, quàm cum longissimè ab ea discessisse uideatur. Huc omnia testimonia quæ de præsentia Dei in ærumnis concionantur, ex loco de Calamitatibus Ecclesie, referenda sunt.

## TEXTVS.

Videntes filij Dei, filias hominum,  
P 2 quod